

XXXII M. A. SABELLICI

(a) *Lugdun. sump. Claud. Landy. 1625. in fol.* mentarios (a) bis Venetum illum vocat: quod illi non ignoscendum; cum patriam Sabellici, non vero suscepsum scribendarum Venetarum rerum munus significare voluerit. Sabellici aeo Ursinis erat subiectum Vicorum; nunc subjicitur Comitibus Bolognettis, nobilibus Bononiensibus.

Aeque ac patria, obscurum est Sabellici genus. Ille quidem, qui jure suo locorum hominumque nomina recudit, epistola ad Foresium, familiam suam, ut perantiquam venditaret, COCCEJAM vocavit, quae in romana republica inter consulares & imperatorias fuit. Varronis vicus, &c. inquit, mihi patria est: COCCEJA domus: Caecia mater, Coccius genitor. Fuere propterea qui ipsum crederent summo genere natum, in quibus Jacobus Philippus Bergomas coaevus illi & amicus

(b) *Suppl. Chronic. lib. XVI. p. 436. edit. Ven. 1503. in fol.* (b), natum ait hunc praestantissimum & eloquentissimum virum imprimis ex COCCEJA nobili veterisque familia in Latio non longe ab Aniene fluvio in Varronis vico. At Matthaeus Vicecomes in funebri oratione, de qua redibit alibi sermo, pro Sabellico Sabellum ubique vocans, adoptat eum alteri familiae generosissimae. Fuit, inquit, ex SABELLIS, qui heroes romani imperii extitere. Patre nobili: matre honestissima. Contra Jovius fuisse illum fabri ferrarii filium perhibet; & secundum illum alii multi, inter quos Henricus Wartonius in Appendice ad historiam literariam Gulielmi Cave (c), & Petrus Bayle in Dictionario critico (d)

(c) *p. 139. edit. Genev. 1705. in fol.* Inter diversa opinantium sententias mihi verisimile est, Sabellicum fuisse ex ingenuis, at nequaquam nobilibus ortum parentibus. Compertum enim mihi est, Joannem Coccium, ejus patrem, in Roberti Ursini, Principis sui, castris meruisse, de quo filius Decadis III. Venetae historiae libro IX. (e) haec scribit: Solebat Joannes Coccius, pater meus, qui Calabro bello sub Ruberto Ursino, viro fortissimo, aliquandiu militavit, adolescenti mibi enarrare, &c. Ex praediis etiam & pascuis non leves Sabellici parentibus fuisse proventus, conjicio ex literis quas ad Catalucium fratrem ipse dedit (f), cui conquerenti redactum se ad incredibilem inopiam, mirabundus rescribit: Non video, per Deum, quid te nullo familiae onere pressum, domo, praediis, re pecuaria abundantem, ad tam insignem redigere possit inopiam, &c. Atque haec adversus Jovium, qui eo ingenio, quo identidem consuevit famam proscindere hominum eruditorum, quorum contextit elogium, cum magnum hunc virum, tamquam homuncionem abjectissimo natum loco, depinxisset, nobis etiam studet persuadere, tam inopem & omnium egenum eum fuisse, ut plane imberbis apud Tiburtes ludum aperiret; inde vero collecta mercede, & togula cærulea excultus, nobilioris doctrinae cupiditate in urbem ad Pomponium se contulit, &c. Romae quidem per Pomponium optimis disciplinis excultus est; sed antea, ut mox dicam, alios habuit praeclaros magistros; ut etiam in his Jovius falsitatis arguatur.

(g) *In testamento Sabellici vulgo da Coccia est cognomen.* Gentilicium Sabellici cognomen COCCIUM fuit, (g) quod ille unius literae adjectione COCCEIUM fecit. Patri Joannes fuit nomen; mater ab illo appellatur Caecia in praedicta ad Foresium epistola, sed hoc fortasse gentis cognomen fuit, non proprium illi nomen: COCCEJA domus: CAECIA mater: COCCIUS genitor. Cur autem ipse pro COCCIO SABELLICUM sibi cognomen fecerit, quoniam altum est hujus rei silentium apud omnes, in lucem id proferre conabimur, ubi mox ea de re occurret sermo.